

Eodem die conclusum est per totum communitatis artium senatum, ut decanus cum suis clavigeris quereret literas in fisco decernentes communitatem artium perpetuo esse liberam a solutione 2 gr. pro loco, quemadmodum habet statutum XIV. sectionis VII. Factum et id est et repertae sunt literae — S signatae — anno 1516 datae, quae manifeste testantur universitatem accepisse a communitate artium 300 flor. in Annabergensibus grossis et ob id velle universitatem numerare collegio maiori de quolibet promovendo 2 gr. ad quodlibet examen et sic liberare communitatem artium a solutione istorum 2 gr. Sciendum autem et hoc est, quod isti 2 gr. a C 250. promovendis exigendi sint et accedant fisco communitatis artium. Cum autem per || errorem aliquorum decanorum isti 2 gr. magnifico domino rectori dati essent per aliquot annos, ita ut pecuniae summa esset 29 flor. 5 gr., transeginus cum universitate, ut istam summam nobis restitueret et quidem in hunc modum, ut sub meo decanatu deponerentur 9 flor. 5 gr. et postea a quolibet rectore 5 flor., donec integra summa facultati restitueretur. Id quod factum. Ad confirmationem huius rei dedit reverendus dns. rector facultati cautionem satis sufficientem.

Cum insuper chirographum extaret de 3 flor. 10 gr. 6 δ, quos Valentinus senior famulus debebat facultati, eodem die facultas decrevit, ut illi chirographum sine solutione restitueretur, si peteret. Sed is petiit. Igitur illi restitui, et sic liberata eius fides gratis ex singulari facultatis benevolentia erga fidelem quondam ministrum.

Mgr. Mathias Stoyg petiit a communitate artium, ut sibi fieret copia respondendi pro loco. Id quod ei post habitam seniorum consultationem concessum est. Sed postea mutans C 250'. — certis fortasse de causis — consilium negotium inopeditum reliquit. || Notavimus autem hoc ideo, ne olim dicat hanc provinciam sibi a nobis denegatam esse.

Voluit communitas artium extare librum, in quem possunt referri monumenta facultatis onnia, qui nunc extant. Sunt autem haec monumenta descripta per publicum universitatis notarium magistrum Wolfgangium Fusium. *

Christo, filio dei, redemptori humani generis, sit laus, honor et gloria seculis infinitis. Amen.

1551 Sommersemester. 284. Decan Bartolus Richius von Holzminden.

C 251.
N 129'.

Anno¹⁾ salutiferi partus servatoris nostri Iesu Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo semestri aestivo, cum consentientibus omnium votis Bartolus Richius Holschmindensis, optimarum artium magister, communitatis harum decanus ad XIII. Calendas Maias creatus administrationi studiorum humanitatis praeficeretur, Apr. 18. et in hac functione exequenda adiuncti fuerunt hi, quorum nomina subscripta sunt, et ita res est acta, ut sequitur, deinceps:

Executores:	Clavigeri:
mgr. {	mgr. {
Christopherus Montagius Polonus	Paulus Bussinus Saxo
Bernardus Rascherus Misnensis	Ioannes Hoffmannus Bavarus.
Cunradus Meuselius Bavarus.	

¹⁾ Anders C: Anno recuperatae salutis per Iesum Christum universo generi humano LI cum curationi aestivae optimarum artium et disciplinarum praeficeretur mgr. Bartolus Richius Holschmindensis summa totius consilii voluntate ad XIII Cal. Maii decanus factus, eo modo studia administrata fuerunt, quem annotavimus, et eorum operis doctrina viguit publica, quorum nomina subiecta sunt. In C alle Ueberschriften in rother Farbo.